

Effundesque premenſque ; tamen non his ego rebus  
 Tam capior , quam quod corda hominum penita ,  
 Naturamque , omnem , latebrasque , atque intima ſenſa  
 Veſtigatque , acri & diſcutit ingenio .  
 Nam pura ceu cryſtallo , ceu lævi orichalco ,  
 Lucis ubi aureolos accipiunt radios ,  
 Omnia tum clare ante oculos rutilantia cerno ,  
 Condiſita quæ in cæca me latuere anima .  
 Tum me complector totum ; partesque peractæ  
 Dum vitæ , morumque , & ſtudii omnivoli ,  
 Luminibus fero me tacitis , dumque omnia luſtro ,  
 Mi rubet interdum conſcius ore pudor ,  
 Interdum pavor inſinuans mi concutit offa ,  
 Excitæque fluunt lacrimulæ ex oculis :  
 Mille ſimul motus , mille omnia perpendentem  
 Curæque , atque æſtus anxiferi exagitant ,  
 Quos varios inter fluctus , animique tumultus ;  
 Huc illuc dum mens anxia diſtrahitur ,  
 Dux idem ſubito , atque idem ſolator amicam  
 Ardenti præfert lumine mi faculam ,  
 Invitatque ſequi qua virtutum chorus omnis  
 Mi præeit , & certam monſtrat ad aſtra viam .  
 Ceu forte in nigro deprehenſis torbine nautis ,  
 Cum venti miſcent prælia in oceano ,  
 Adverſasque cient adverſo flumine moles ,  
 Et jactata imis æſtuat unda vadis ,  
 Si Zephyrus roſeis adſpiret lenior alis ,  
 Pulſo longe Auſtro , Caucaſeo & Borea ,  
 Sternunt ſe freta lata , micat Sol aureus axe ,  
 Et patria adparent littora cara procul .  
 Salve , o V . . . . . , ſacrum decus Oratorum ,  
 O Salve Princeps Auſonii eloquii ,  
 Eloquii , cui pura fides , cui candida plaudit  
 Relligio , & virtutum omnium amanda cohors ;

Plaudit